

eisdem sepedicta bona ab impetitione cuiuscumque. Proloquutores vero, dicti vidheruarumen, istius contractus fuerunt, qui sequuntur: Karolus Sonason de Hæsleby, Michael de Oastum, firmarii vero, wlgariter dicti fasta, fuerunt infra-scripti: Holmo in Hamarstum, Nicholaus in Sudherby, Andreas in Kælaberghum, Magnus in Skæl, Johannes in Jurstum, Ingeldus in Forse, Ingemundus Raskær, Mathias in Sudherby, Botwidus in Thyænsta, Nicholaus Anundi, Johannes in Gryte, Ødmundus in Vigby, parrochiani in Øsmo. Hii omnes presentes interfuerunt presenti contractui, ad hoc specialiter [rogati] et vocati. Et in huius rei testimonium sigillum meum proprium et sigillum dilecti generi mei domini Vlphonis Philippi vna cum sigillo fratris mei Benedicti presentibus sunt appensa. Datum in parrochia Øsmo predicta anno Domini m<sup>o</sup>ccc<sup>o</sup> quinquagesimo in die beati Petri ad vincula.

På baksidan: littera acquisitionis super bonis in Aby, Stymminge et Vretum. Sigillen borta.

4601.

1350 Aug. 4.

Stockholm.

Konung Magnus säljer med sina rådgifvares samtycke till biskop Egis i Vesterås och hans kyrka för 300 mark rent silfver, Stockholms vigt, och 4500 mark penningar, hvilka konungen på olika tider fått som lån, följande gods i Vestmanland, nämligen Östuna och Grönö, Virsta, Norra och Södra Hunö, Åsta, Eke, Bilista, Andredeskog, nedre Bolsta, Torsmose, Forsby, Bjuggsta i Hara (Kungsåra) socken; Sundby, Forsby i Björskogs socken med öarne Norra och Södra Krakholm m. m., samt pantförskrifver slutligen för ofvannämnda gods gården Kungsbarkarö.

Orig. på perg. i Sv. Riksark. <sup>1)</sup>

Omnibus presens scriptum cernentibus Magnus, Dei gracia rex Swecie Norwegie et Skanie, salutem in Domino sempiternam. Nouerint vniuersi, presentes pariter et futuri, Nos de consensu et beneplacito nostrorum consiliariorum infrascriptorum venerabili in Christo patri, domino fratri Egislo, eadem gracia episcopo Arosiensi, et sue ecclesie predictæ pro trecentis marchis puri argenti ponderis Stokholmensis, quas nos leuasse et integre habuisse recognoscimus per presentes, et pro quatuor millibus ac quingentis marchis denariorum Sweuorum monete nunc currentis, quas in diuersis annis mutuo receperamus ab episcopo et ecclesia Arosiensi predictis, bona nostra in Wesmannia in villis subscriptis situata rite et legaliter iuxta leges et consuetudines patrie vendidisse: Primo videlicet in Østwnum xii oras terre cum molendinis et molendinorum locis ibidem ac Grønø cum omnibus et singulis eorum pertinentiis, agris, pratis, siluis, pascuis et piscariis, siccis et humidis, prope et remote positis et quocumque nomine nominatis, item in Viristæ xiii oras terre vnum solidum et duas vlnas terre, in Norrahunø vnam marcham et dimidiam oram terre, in Sydrahwnø in Høkastalwth x solidos terre, item ibidem in Sydrahwnø in Quillinghaboluth quatuor solidos terre, in Aastum sex solidos terre cum dimidio, in Eke duas oras terre,

<sup>1)</sup> Finnes äfven vidimeradt 1370 d. 15 Juli af domkapitlet samt borgmästare och rådmän i Vesterås. Originalt på ett par ställen frätt; tilläggen inom klammer gjorda efter afskriften.

in Bilistum duas oras terre, minus duabus vlnis terre, in Andredhæskogh dimidiam oram terre, in Nydrabolstadhi vnum solidum terre, in Thorsmusa vnum solidum terre, in Forsby quatuor solidos terre cum dimidio, in Biwgsta, parochie Haræ, dimidiam oram terre et in Swndby dimidiam marcham terre, item ix oras terre in Forsby, parochia Byornæskogh, cum duabus insulis, dictis Krakholm norræ et sydhæ, vna cum exitibus liberis in Vlunghe et Hestholm ad ligna cremabilia et ad sepes, necnon et piscarias libere vtendas et exercendas cum vniuersis eorum, vt premittitur, attinenciis et iuribus, expressis et non expressis, nullis omnino exceptis, alienantes a nobis, heredibus et successoribus nostris bona predicta et transferentes in ipsum dominum episcopum, ecclesiam suam suosque successores omnium et singularum(!) bonorum supradictorum eorumque pertinencium plenum jus et proprietatis dominium ac auctoritatem omnimodam eadem bona in per[petuum] possidendi, alienandi et de eis qualitercunque ad placitum disponendi. Obligamus insuper nos, heredes et successores [nostros] eidem domino episcopo, ecclesie sue ac successoribus eius ad veram appropriationem et omnem prefatorum bonorum eorumque pertinencium euiccionem omni modo et forma, quibus m[elius et] tucius presens vendicionis contractus de jure valere poterit et tenere. Ymo ad maiorem cautelam et vt indemp[nitatibus] episcopi, ecclesie ac successorum eius predictorum tanto securius occurratur, obligamus et pro pignore seu in pignus assignamus eidem domino episcopo, ecclesie sue et ipsius successoribus bona nostra Kwnunxberkarnæ cum omnibus et singulis eorum pertinenciis et iuribus vniuersis, nullis exceptis, ita et sic, quod, si aliquo modo bona supradicta Grønø et eis adiacencia predicta pro eodem domino episcopo, ecclesia sua aut ipsius successoribus impediri aut a nobis rege predicto vendente, heredibus seu nostris successoribus euinci contingat, extunc volumus, vtique firmiter promittimus et per presentes conuenimus, vt episcopus, ecclesia et successores prefati plenissimam habeant auctoritatem ac merum jus predicta bona Kwnunxberkarnæ cum eorum attinenciis libere et licite intrandi, occupandi, eis vtendi, fruendi et eadem pacifice et quiete manutenendi in casu euiccionis predicte sub conditione, que est, quod si bona predicta Kwnunxberkarnæ cum bonis Grønø et eis adiacentibus in redditibus annuis equiualencia non fuerint, addemus et superaddemus dictis bonis Kwnunxberkarnæ alia de bonis nostris tot et tanta, quousque predictis bonis Grønø equiualeant, hoc est, ipsis in prouentibus annuis fuerint equedigna. Que quidem bona Kwnunxberkarna et ipsis in hoc casu sic superaddita prefatum dominum episcopum, ecclesiam et successores eiusdem prefatos tenere et cum totali eorum administracione et regimine habere volumus ac eorum fructus, redditus et prouentus libere et cum integritate percipere ac ipsos fructus suos facere sine omni computo et defalcacione, sine omni reclamacione vel reuocacione, donec de trecentis marchis puri et quatuor millium ac quingentis marchis denariorum Sweuorum supradictis monete scilicet nunc currentis episcopo, ecclesie sue vel successoribus eius predictis per nos, heredes vel successores nostros plene et integre fuerit satisfactum, nec tamen aliquid, vt premittitur, defalcari debeat de huiusmodi leuatis et perceptis fructibus bonorum Kwnunxberkarna et eis sic additorum memoratorum in casu premissis, cum scilicet episcopus, ecclesia vel successores predicti bonis Grønø ac eis adiacentibus aliquo modo caruerint,

que ipsis pro precio, quo supra, legaliter vendidimus cum toto eorum jure et sub condicionibus, sicuti superius est expressum, promittentes firmiter in hiis scriptis premissa omnia et singula tenere et seruare ac facere de aliis inuiolabiliter obseruari, nec in aliquo per nos vel alium quemcumque contra facere vel venire. In quorum omnium fidem et testimonium sigillum nostrum maius ac venerabilium in Christo patrum dominorum Hemminggi, permissione diuina archiepiscopi Vpsalensis, Petri Lincopensis et Siggonis Skarensis episcoporum ceterorumque nostrorum consiliariorum, dominorum Nicholai Thwræson, dapiferi nostri dilecti, Nicholai Abyornæson, Gøstai Thwnæson, Gislæ Ælynæson, Karoli Næskwnunxson, Anundi Stwræ, Pwkæ Glisingh, Israelis Birgersson legiferi, Laurencii Karlsson, Eringislonis Sunason, Gøstai Aruidsson et Johannis Cristinæson sigilla duximus presentibus apponenda. Actum et datum in castro nostro Stokholmensi anno Domini m<sup>o</sup>ccc<sup>o</sup> quinquagesimo feria quarta proxima post diem beati Petri ad vincula, que fuit quarta die mensis Augusti.

Sigillen på instuckna remsor; n. 1, 2, 4, 5, 7—16 borta; af n. 3 ett litet fragment; n. 6 Nils Abjörnssons (sparre).

4602.

1350 Aug. 5.

Avignon.

Påfven Clemens 6:s resolutioner på penitentiarien i provinsen Dacia Sigfrids ansökningar om kanonikat och prebenden för Upsalaklerken Ingeld Jonsson, studerande i Paris, i Åbo stift efter herr Tideman och för Harald, klerk från Skara stift, efter herr Laurentius i sistnämnda stift.

Påfl. registr. i Vatik. ark. Clem. VI. Regest. Suppl. an. IX f. 83 v.

Tryckt eft. P. A. Munchs afskrift.

Supplicat S. V. humilis et deuotus orator vester frater Sigfrigidus(!) Lincopensis, penitenciaris Dacie, quatenus sibi in personam dilecti familiaris sui humilis filii vestri Ingeldi Johannis, clerici Vpsalensis diocesis, scholaris Parisius et jure canonico nullum adhuc beneficium ecclesiasticum assecuti, specialem gratiam facientes de canonicatu et prebenda cum cura annexa vel sine in ecclesia Aboensi, vacantibus per obitum domini Thidemanni in Roma hoc anno jubileo, tempore peregrinationis generalis, cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Ingeldo de clemencia apostolica dignemini misericorditer prouidere cum acceptatione, inhibitione, decreto et clausulis anteferri et cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus deputatis, vt in forma. *Fiat R.*

Item supplicat S. V. quatenus sibi in personam dilecti familiaris sui deuoti oratoris uestri Haraldis Sueuorigi(!), clerici Scarensis diocesis, specialem gratiam facientes de canonicatu et prebenda in ecclesia Scarensi, vacantibus per obitum domini Laurensii(!) in reuersione de Roma hoc anno jubileo, tempore peregrinationis generalis, cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Haraldo de benignitate apostolica dignemini misericorditer prouidere, cum acceptatione etc. Non obstante quod idem Haraldus parrochialem ecclesiam de Scarker(!) noscitur obtinere, et cum omnibus non obstantibus et aliis clausulis oportunis ac executoribus deputatis, vt in forma. *Fiat R.* Et quod transeat sine alia lectione. *Fiat R.*

Datum Auinione non. Aug. [pontificatus nostri] anno nono.